flagellare Germanos minatus est.

Utinam et me vocaret Dominus ne immi-
nentes calamitates sentire cogerer. Nos vero
pro vobis diligenter oramus. Pergite igitur in orando
et iungamus simul vota nostra, et expectemus
in patientia auxilium de Caelo.

Cur me vocas superattendentem? Ego sum totus
privatus, nullum officium habeo, et vivo in
summo otio.

Alkoranum Wittenbergensem nondum vidi,
Mox tamen visurus, Deo volente. Vellem, ut
de rebus istis magnis et multis accuratius ad
me scriberes, possunt enim tuto huc venire litterae.
Iterum vale cum tota familia. prima
Maij 1549. Magdeburgi.

N. von Amsdorff

Epistola Hieronymi Baumgartneri
Senatoris Norimbergensis ad Phil. Mel:
de obitu M. Viti Theodori.

S. D. Nescio quae sit mea infelicitas, ut quoties ad te
scribo, toties novum argumentum se offerat quae-
rimoniarum. Vix leniverat ὁ χρόνος dolorem,
quem ex obitu Crucigeri conceperam, et ecce Vitus
noster, ut nunc ipse arbitrabamur, brevi moriturus,
me vocat, utique commendat suam familiam et
idque die Annunciationis. At eo periculo cum
nonnihil convaluisset, ita ut spem longioris vitae
praeberet aliquam, cum praeter vulgatos et pene
assiduos dolores calculi et podagrae, nihil aliud
sentiret incommodi, sicque familiae ad mensam assi-
deret, sensit lassitudinem, iussitque se in lectulo
reponi, tamque intergemiscens paulisper, post horas
duas aut paulo amplius cum assideret Uxor
cum sorore atque aliis, edito uno atque altero verbo,
in alterum latus quodam cum impetu se reijcit,

atque mox expirans tacitus atque immotus.
Uxoris soror animadverso insolito motu corporis,
(quam antea ne digitum quidem movere poterat.)
atque sonoro rhoncho perterrita, arreptam candelam
in faciem infert atque nomine compellat, videtque
iam mortuum. Facile coniicies quibus
qui ululatus, et quantum lachrymarum ibi
effusum sit. Elatus est postridie tam ce-
lebri et frequenti comitatu omnis generis
hominum, quam vix unquam conspectum est.
Ego vero, etsi valde doleo, tales viros nobis eripi,
qualis fuit Cruciger et ipse, quia res ruinam
Ecclesiae minari videntur, tamen ei non possum
non gratulari tam placidam ex hac vita emi-
grationem, ut vere videatur mortem non
gustasse, sed uno momento per mortem
in vitam pervenisse. Cum die Annunci-
ationis ipse, ut sibi videbatur, mox exhalaturus
animam, adsiderem, prae ceteris quae man-
dabat, contristissime rogabat, ut cum mortuum

esse adscriberem se in confessione et vera
invocatione filii Dei ex hac vita emigrasse, atque
in extremo odio τῆς βίβλου βασιλικῆς, utque
ut idem largiretur dominus, cum lachrymis ora-
bat, atque osculata dextra, quam ut ad os ipsi ad-
moverem, rogabat, dimisit. Unica haec vox
erat, quam subinde repetebat: O Iesu Christe
fili Dei, miserere mei. Cum inter ceteros
sermones iuberem sperare tantum vitae, quantum
satis esset disponendae domui; Erat enim et spes
et vox robustior, quam morientis esse solet, re-
spondit: Quid sperem aut optem amplius, cum
hoc corpus ita mortificaverit dominus, ut ne unum
quidem membrum integrum superesset. O quam
libens morior, vix unquam ad moriendum fuerim
paratior. Uxor honestissima foemina maerore
iam pene consumitur, tametsi non destituta
sint piorum hominum praesidia, neque usque adeo egena
sit, sed vestris literis si confirmata fuerit,
haud dubie magnam doloris partem ponet. Vale
10. Aprilis. Anno 1549. Norimbergae.

Hieronymus Baumgartner.